


Petrus Tomicki Episcopus Craio:  
viensis Vicecancellarius.

Antonio Toker. 156

Spectabilis et generose domine Amice  
noster Charissime.

Tametsi nihil dubitemus Dominatio:  
nem Vestram Reverendissimam ad priores  
litteras nostras pecuniam factoribus suis  
suppeditare jussisse ad eximendas litteras  
nostras, quas in plurimis negotijs no:  
stris apud Sedem apostolicam expediri no:  
bis fecimus, quia tamen et alia adhuc mul:  
ta denuo curare, et priora si non fuerint  
absoluta perficere apud eandem Sedem Sancta  
apostolicam, commisimus Doctori Stanislao  
Raczka Penitentiaro Romano minori  
qui illuc hoc tempore est profectus. Roga:  
mus plurimum Dominationem Vestram reve:  
rendissimam, ut in ea omnia, que ille nomi:  
ne nostro curabit, pecuniam illi suppeditare  
faciat, quanta ille opus dixerit. Namque  
nos arbitramur, iam iterum dominationem  
vestram rationes suas et negotia Romae  
instaurasse, factoresque illuc et negotiorum  
suorum gestores constituisse. Cum illuc et  
summus Pontifex, et multi insignes viri  
redierunt, quidquid autem nos illuc pro no:  
bis numeratum esse cognoverimus, id ite:  
rum Dominationi Vestrae apud Dominum  
Georgium Hegel Craovic multa cum gra:  
titudine dissolvemus.

Novarum  


Novarum rerum nihil est apud nos in praesentia, nisi quod audimus regem Johannem in Hungaria esse et multorum Procerum illius regni favore et auxilio adjuvari. Quod iam cum Turis factus et consilia inierit, firmaveritque, ut conjunctis illorum secum viribus, quos adversantes sibi a regno Hungariae prohibere posuit.

Audimus etiam Serenissimum Romanum regem Ferdinandum copias non vulgares in Hungariam misisse, ut et ijs qui in fide sua permanent auxilium ferat, et adversario suo ut caput bello resistat, quae omnia nobis videntur, ad illius regni quondam in Christianitate florentissimi et opulentissimi perniciem et Detrimentum spectare, quod et Dominationem Vestram, et alios omnes, qui recte rem considerant, et quieti publicae student aequè sentire putamus. Nos equidem si quid possemus in medium pro bono pacis consulere, neque opere, neque Diligentia nostra parceremus, sed ad tanti momenti negotia majoribus consilijs et auctoritate opus esse intelligimus. Quare nos bona spe, eventus aliquos bonos in omnibus rebus expectabimus, et dominum Deum pro communi Principum Christianorum concordia et pace orabimus, et Diligenter precabimur. Cupimus esse Dilectam Vestram incolumem et felicem, cujus benevolentiae et Amori nos commendamus. Datum. Et